


Q24

U
1
U



Disertationum harum in unum Volumen redactarum
editionem optat, et ab Autore flagitat (asp. sigill.
in libello de Jmitat. Cocenij Albert. edito S. 49. p. 77. 78.



1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.



Index

d. 3. Febr. 1679.

Dissertationum Bonafianarum

1. ~~Primum fasum.~~

1. An deus sit materia prima. Phys.

2. de tempore.

3. de Origine animo. ed. 1. et 2.

4. de G. A. diss. Amantii Veni.

5. de forma Somnii.

Ethico-polit.

6. de dignitate numeris personarum tantis et civitatibus.

7. de potestate patris.

8. de societate paterna.

9. de societate nuptiali.

10. de statu naturali ac legali.

11. Dea boni perfectio Politic.

12. de ministris.

13. de notitia in Reg. intestinis ac successibus causis.

14. de potestate legislativa.

15. de potestate agendi ceptum.

16. de ratione patrie.

17. de iure belli majestatis.

18. religione Christiana non minus fortitudinem bellicam.

19. de atrocibus rebus in gentem.

20. de Legato inviolabili.

21. de Cynocorata subsidiana.

22. de iure priorentis.

23. de certamine pugnantis inter regna successu et electi.

24. de Astrucio aliisq; exotis rebus.

25. de Virtutibus Cardinalibus prima

26. Secunda.

27. de Philanthia.

28. de amore parentum.



29. de officio hominis circa utilitatem fut. cont.
 30. de styli et sive nigris fugiendo. Philol.
 31. de Papho et Polluce.
 32. de Cingaris.
 33. de mandragora.
 34. de hibernaculis hircundinum.
 35. de visu talperum.
 36. de insidiis W. Evangelistarum. dua edito.
 37. de nominibus et insidiis lapsis.
 38. de morte in urbis.
 39. de vita Vet. Christianorum pro cardis versus orientem.
 40. de poculo S. Iohannis.
 41. de Peto Drosdey.
 42. de fabulis Paltarum.
 43. de Drotz Metastis.

Reperentiis Autentis.

44. de Indiciis Papistarum expungentis.
 45. de transformatione Somnium in Bruta.
 46. 47. de foeminarum eruditione.
 48. de Duellis.
 49. de cautelis principum circa colloquia, et congressus. (Quo.
 50. de Elphabâ.
 51. de barbâ. | de vngaribus Scholasticis.
 52. primum falsum.
 53. de gemmis.
 54. de actionum humanarum principis.
 55. de natura et constitutione Politicis.
 XXIV. Programmata.

XXIV. Programmata.

Oratio solennis et quatuor temporum.

Compellatio ad D. Jan. Mullerum,

Renova Wendlandi.


Euphrasixae Praebito oblatum.


Calamo Caryophyllato fer.


tem.

lv.
lx.









5
DE ORIGINÆ ANIMÆ
HUMANÆ

DISPUTATIO

AMANDI VERI

Quibusdam de hoc Argumento
motis difficultatibus opposita,

Quam

Indultu Inclytæ Fac. Philosoph.

instituit

M. JOHANNES VAKE,
Hamburgensis,

Respondente

CHRISTIANO THOMASIO, Lipf.
Philos. Baccalaureo,

d. 18. Decembr.

ANNO M DC LXIX.

LISPSIÆ

Typis JOHANNIS GEORGI,

DE ORIGINE ANIMAE
HUMANAE

DISPUTATIO

DAMANDI VERI

Quibusdam de hoc Argumento

motu intellectibus opposita

Quam

Inductu laelyae fac. Philosoph.

instituit

M. JOHANNES VAKE

Hannoverae

Respondente

CHRISTIANO THOMASIO, L.P.

Philos. Baccalario

d. 18. Decembris

ANNO MDCCLXVII

Typis Joannis Gieselii



D. O. M. A.

Disputatione de Origine animæ rationalis A. M DC LXIX.
d. 27. Jan. peractâ, incidi, suppeditante Excell. Dn. Tho-
masio, in librum, *Triumphans anima*, dictum, in quo non-
nulla nostræ de Origine animæ sententiæ adversantia legi.
Edidit illum *Amandus* quidam *Verus*, loco, quo typis sit impressus,
suppresso. Fictum illud esse nomen Autor ipse prodit: dedica-
tioni enim tractatus, quem Philosophicam animadversionem in
Aristotelem nuncupat, subjunxit has tres literas I. C. E. Fructife-
rum certè præsens hoc est seculum, quod multos tulit libros, quo-
rum Autores scripserunt vel planè sine nomine, vel sub fictitio, vel
alieno falsò assumpto, quorum in Politicis aliquem Catalogum
adornavit Consultiss. Da. D. Geislerus in Disp. de Nominum mu-
tatione & Anonymis Scriptoribus habita d. 29. April. Anno
M DC LXIX. Nec in reliquis Philosophicis scientiis defectum
talium librorumprehendimus. Testantur id bibliopolia, quæ
illis referta ferè sunt conspicua. Horum numerum augere voluit &
noster *Amandus Verus*, cujus verum resciscere nomen mihi, inqvi-
renti licet, non licuit: varia audio, certiora desidero. Quantum
quidem ipse ex ejus scripto de Anima Triumphante obiter tantum
perlustrato colligere potui, cognosco illum Papistam vel velifi-
cantem Syncretistam; vel etiam talem, qui nulli addictus religioni
novam sibi fingit, cui se mancipet. Sanctificationem enim San-
ctificatorum in utero materno intelligit de immunitate à culpæ ori-
ginalis reatu, & ab omni peccati labe p. 210. quod Antichristianum
graviter olet. Nec dubito, quin plura ejus furfuris accuratius in-
spicienti occurrant. Imo & talem, qui nova moliendo incla-
rescere voluit. Utitur in toto libro novâ argumentandi formâ,
ubi loco minoris ponit majorem, & contra, ad confusionem ma-

gis imperitorum, quàm ullius rei usum: quæ, si rectè ponderetur, quartæ figuræ esse deprehenditur, quæ & ipse in *Philosophicâ suâ Animadversione in Aristotelem* ex professo defendere tentat. Format quoque propositiones sat prolixas, quæ si secundum ulnam essent, mensurandæ, excederent tres vel quatuor. Neque stylus admodum est bonus, sed obscurus & confusus. Caterum quicquid sit de Autore, scriptum ejus adior: non verò omnia in illo contenta, illa modo, quæ concernunt nostram de Origine animæ rationalis materiã. Mirum forsã esset alicui, quod in totâ hâc disputatione syllogisticè procedam: Autoris confusus argumentandi & resolvendi modus id poscit. Voluit quidem in re Syllogistica, ipsius Aristotelis reformatorem agere, testatur hoc ejus *Animadversio Philosophicâ in Aristotelem*, ipse tamen Logicæ artis parùm peritus est artifex; si enim partis adversæ argumentum proponat (quod suis ille semper, non adversariorum facit verbis) sive responsionem moliatur, miscet, turbat, confundit omnia, ut omninò, satisfacere illi si accuratè velim, resolutione sit opus. Tribus omnia includam Sectionibus.

S E C T I O I.

Ostendit, resolutionem Amandi non esse tanti, ut argumento nostro creationi opposito possit satisfacere.

§. I.

PRO scopo habet Amandus in suo opusculo immortalitatem animæ demonstrare. Quod ut commodius præstet, suo instituto conforme putavit, si (ut loquitur initio statim p. 9.) *demonstrationi præmitteret opiniones, quæ multæ & variæ de anima ortu circumferuntur.*

§. 2. Opiniones illas facit in universum quatuor: quarum *Prima*, quod anima rationalis ex semine propagetur vel educatur, exhibetur cap. 1. p. 10. seqq. *Secunda* c. 2. p. 140. seqq. quod ex anima parentum traducatur. *Tertia* c. 3. p. 171. seqq. quod animæ rationales creentur ante corpora, ut Origenes autumavit. *Quarta* denique cap. 4. p. 198. seqq. quod à DEO creentur corporibus infundendæ, sic enim loquitur ipse Autor p. 199.

ANIMAE RATIONALIS §

§. 3. Hanc ultimam rejectis cæteris suam facit Amandus. Ego secundam amplector, quam & in disputatione citatâ sub præsidio Clarissimi Viri Thomasi defendi.

§. 4. Secundæ verò hujus opinionis argumenta quinque Amandus & producit, & refellere conatur p. 141. 160. 163. 167. 169. Placet examen instituere tantum primi & secundi. Videamus, quomodo res illi procedat: sed quod promissimus formaliter agamus cum ipso, scopasq; ejus dissolutas componamus, vastas in debitam brevitatem cogamus.

§. 5. Primum argumentum, quasi ex adversariorum mente, sed reverà suo & stylo & more, sic ille informat in illâ sibi confectâ quarta figura p. 141. 142.

Animæ rationales, quæ vera & realia sunt in rerum naturâ entia existentia, neq; mox cum condito sæculo tot à DEO create sunt, quot voluit nasci homines, neq; creantur novæ, cum infundenda sunt (ita malo quam sint) corporibus, neq; propagantur semine materiali.

At illæ, quæ vera & realia sunt in rerum natura entia existentia, neq; tamen mox cum condito sæculo tot à DEO create sunt, quot voluit nasci homines, neq; creantur novæ, cum infundenda sunt corporibus, neq; propagantur semine materiali, necessariò propagantur ex seipsis, vel semine quodam spiritali, vel modo nobis omninò ignoto, cum modus alius non saperfit.

Ergò animæ rationales propagantur vel semine spiritali, vel modo nobis omninò ignoto.

§. 6. Satis prolixè & tædiosè: brevius & concinnius hoc idem svadebis per syllogismum hunc disjunctivum:

Anima humana aut (1) create fuerunt initio mundi ante corpora simul omnes: aut (2) quotidie creantur singule novæ: aut (3) educuntur ex potentia seminis corporei: aut (4) traducuntur ex animabus parentum:

Sed ex his nec primum, nec secundum, nec tertium est verum. Ergo quartum.

§. 7. Quod in Syllogismo est connexum, id Amandus majorem sui Syllogismi vocat: quod assumptum, minorem: Cum vero hujus assumpti tria sint membra, de singulis ordine agit Amandus p. 143. 145. 148. Omissis cæteris secundum assumam. Considerabo probationem ejus tanquam argumentum, quod militat contra quotidianam animarum creationem. §. 8.

§. 8. Proponit eam Amandus rursus ex mente quasi adversariorum, sed suis verbis p. 145. sqq. Probatur minor secundum alteram partem, quod anima neq. creentur, dum infundende sunt corporibus. Quoniam cum universa gens humana vitio originali obnoxia sit, à quo sceleribus se adicit, & virtutibus contradicit, vitium illud derivatur in omnes aut ab anima rationali aut à corpore. Sed sive culpam originalem anima sive corpus propaget, culpæ propagatorem, & autorem esse DEUM consequitur. Nam si anima noxam communem diffundat, illamq. DEUS immediatè à virtute producat, quam productam corpori humano efformato infundat, DEUS scelus intentat. At si anima integra scelerisq. pura est, corpus vero pollutum, DEUS dirus & crudelis creatorum suarum osor esse videtur, qui sanctas & insontes animas corporibus flagitiis pollutis immergat, ut eorundem consortio & vitiosa contagio polluantur, atq. à justitia creata (rectius concreata) statu descendant. Vel quæ evenit, cum virtutis & boni major sit potentiorq. operatio, ut corporis polluti malitiam non obtundat, & victam triumphet? quia magis comperitur animam corpori cedere, & pronam corporis studia sectari, culpa in illum desinente, qui naturas tam repugnantes & sibi secundum æquitatem & iniquitatem oppositas conjunxit. Quod quia in DEUM non minus impium, quam blasphemum est, dicere animas rationales sub tempore corporis in utero materno fabricati à DEO produci, nefas & iniquum est.

§. 9. Tentemus ex hac indigesta lignorum lapidumve mole logicum struere ædificium. Argumentum contra creationem tale foret:

Si DEUS creat animam, daturq. in anima peccatum originis, sequitur, DEUM aut peccati autorem, aut crudelem esse:

Sed falsum & blasphemum est utrumq. consequens;

E. & antecedens.

Connexum probatur h. m. Si DEUS creat animam & in anima datur peccatum originis, tunc peccatum hoc originis aut statim anima concretum fuit à DEO, & sic DEUS erit autor peccati: aut transfunditur in animam sanctam ex contagione corporis, & sic DEUS erit crudelis, qui animam innocentem conjungit corpori contagioso.

§. 10. Notandum est, Syllogismum hunc non tam esse nostrum, quam Augustini, cui probabiliter fuit perivasum, labem trans-

transire à corpore in animam. lege disp. cit. Sect. III. §. 66. quòposito non potuit se expedire ex illo scrupulo, quòmodo illum liberaret à notà crudelitatis, stante quidem creatione, atq; hinc ipsam creationem suspectam habere coepit disp. cit. Sect. III. §. 67.

§. II. Nos verò cum negemus à corpore transire posse peccatum in animam, à subjecto quippe secundo in primum disp. cit. Sect. III. §. 78. paulò aliter in forma mus argumentum hoc modo:

Si Deus creat animam, daturq; in anima peccatum originis, sequitur, DEum esse peccati autorem:

Sed consequens est falsum & blasphemum: Ergò & antecedens. Probatum connexum: quia si anima à DEo creata habet peccatum, illud habebit aut à DEo, aut à parentibus: Non à parentibus (illi enim ex praesente hypothèsi largiuntur tantum corpus, à quo anima labem contrahere non potest, cum sit peccati subjectum secundum, anima verò primum: non verò transit accidens à subjecto secundo in primum) Ergò à DEo, & sic ipse autor est peccati. Non quidem sic formaliter proposuimus hoc argumentum in disputatione citata, facile tamen ex ibi dictis potest extrui.

§. 12. Nunc videamus quid argumento huic Amandus respondeat. Sic ille; cum p. 150. 151. adversarios suos reprehendisset, quòd modum propagationis incognitum sibi fateatur (quæ quidem reprehensio nos non ferit, legat Amandus disp. cit. Sect. IV. §. 37. 38.) pergit p. 152. seqq.

§. 13. *Pars altera probat, animas rationales à DEo non creari, cum corporibus suo tempore infundenda sint (sunt) neq; sustinere posse nisi in DEum blasphemiam, quæ quidem prava est horum Autorum licentia, blasphemiam crimine tam insignes, & de Ecclesia Christiana optimè meritos, sanctissimosq; Viros notando, seu enim justitiæ divinæ propugnandæ studio, sic sibi esse sentiendum autumant. Consultando adversas opiniones modestià utendum est; odit DEus illos sui propugnatores, quòd defensionem magis calumniis onerant, quam causam aequitate ornant, rem suam, ut æquè, sic molliter tractari vult, si pro DEi causa convitiaris, DEum convitiaris. Mitioribus itaq; nominibus agendum est, si commune nobis veritatis obtinenda sit consilium; quòd si ingenij magis salacitate rem presentem agere velint, scopo declinant, sibi iniq; & suæ causæ, quam suscipere, injuri, dum in illa novum potius modum nullà ratione nixum, nulla aucto-*
ritate

ritate, nec humana, nec divina firmatum comminisci malunt, ut ingenij petulantiam exercent, quam modum qualibuscumq; rationibus comprobatum & autoritate confirmatum modeste complecti. Hæc una responsionis pars est.

§. 14. Quæ si accommodari debet ad argumentum, qualem quidem protulimus supra §. 9. impugnabit non tam ipsum, quam modum loquendi in assumpto & conclusione, ubi blasphemiam injecta fuit mentio. Causam verò principalem nondum tangit (facere hoc tentabit in sequentibus) itaq; poteramus brevitate studio hæc transilire. Libet tamen nihilominus quædam reponere.

§. 15. Agrè fert Amandus, quod Infusianis monstremus, quænam blasphemia pariat illa de creatione & infusione animarum sententia, sic nos convitari Viros de Ecclesiâ optimè meritos clamavit. Ast sciat, nos miuinè delectari illo per convitia argumentandi modo. Videat ipse, annon criminis ejusmodi, quod in aliis reprehendit, se faciat reum, dum hîc & alibi petulantiam adversariorum suorum crepat, & quæ sunt similia.

§. 16. Blasphemiam esse propositionem, quæ DEum facit autorem peccati, ne ipse quidem negabit Amandus. Nam p. 110. hunc errorem gravissimum & detestandum vocat.

§. 17. Porro nec illud ambigi potest, si quæ ex opinione necessariò sequatur ejusmodi propositio blasphemia, blasphemiam hanc in ipsam quoq; opinionem illam redundare, saltem per modum consequentiæ & virtualiter.

§. 18. Omnis ergo controversia de eo tandem erit, an illa blasphemia conclusio sequatur ex opinione de animarum creatione id quod ante nos dudum quoq; Augustinus putavit. Hunc ferre si Amandus potest, etiam nos ferat.

§. 19. Debet verò etiam hic distingvi inter Syllogismum, qui opinionem aliquam arguit blasphemiam virtualis, quam vi consequentiæ comprehendit, & inter convitium homini ipsi exprobrantis blasphemiam formalem. Quæ duo miserè confundit Amandus.

§. 20. Sed transeant hæc, cum rem ipsam non tangant: Videamus, quid Amandus ad Syllogismi non jam assumptum & conclusionem, sed connexum, in quo cardo est controversiæ, respondeat.

ANIMAE RATIONALIS.

9

§. 21. Sic ille pergit p. 154. seqq. Hi itaq; *Autores arbitran-*
tur, non nisi cum impietate in DEum adferi, animas racionales à DEO cre-
atas corporibus humanis infundi, quod ex hac assertione DEum esse peccati
Autorem consequatur. Sed errant, qui putant: Nam etsi DEus ex vir-
tutis suae infinitae potestate temporum nullo tractu mutata animas rationa-
les producat, quibus corpora humana in utero materno efformata infor-
mat, non tamen superiorem sequelam inferre conceditur, cum noxa ori-
ginalis propagetur non ab anima rationali, quae sancta & integra ab Opi-
fice optimo condita proficiscitur, neque à corpore, quod peccati sordes
non contrahit, sed ab animâ sensitivâ, quae, quia fuit in potestate gene-
rantis primi hominis, quemadmodum illa se in omnem posteritatem propa-
gavit, sic cum eodem pariter culpam originalem communicavit.

§. 22. Respondere vult Amandus ad probationem con-
 nexi, quam protulimus §. 9. dicentes, peccatum originale in ani-
 mam (stante creatione) aut à DEO, aut à corpore humano transi-
 re. Imò verò, inquit, Amandus à neutro, datur enim tertium;
 trahit nempe anima rationalis peccatum ab anima sensitiva. Et
 hac de re plura apud Amandum p. 57. 90.

§. 23. Ad hoc Amandi regeri possunt sequentia. *Primò:*
 fortasse tertium hoc idem est cum Augustini secundo. Hoc volo;
 qui dicit, animam imbui peccato à corpore, idem vult fortè, quod
 Amandus, qui pro corpore nominat animam sensitivam. Quis
 enim credat, Augustinum corporis nomine intellexisse corpus
 à *luxor*, ac non potius à *luxurior*, informatum anima sensitiva.
 Non incongruenter colligere id licet ex Jansenii verbis l. 1. de
 stat. nat. laps. 15. f. 238. Ubi inquit: *Hac insuperabilis semper Augu-*
stino difficultas visa est, quod nunquam intelligere posset, quomodo justum
esse posset, ut anima semper à DEO creata, & ab omnibus peccatis inno-
cens sine suâ culpâ mitteretur in carnem peccati, cuius concupiscentiâ &
libidine inquinata gravaretur.

§. 24. *Secundò:* posito sententiam hanc Amandi reverà
 esse distinctam ab illâ Augustini, nego tamen, quod ille verum esse
 ponit, in homine esse duas realiter distinctas animas, rationalem
 & sensitivam, quarum una sit prior tempore alterâ. Est enim uni-
 ca tantum. Conatur quidem Amandus p. 26--50, fusè id proba-

B

re,



10
SECT. I. DE ORIGINE

re, & nostram sententiam refellere. Sed instituti nostri ratio jam non permittit, ejus argumenta lustrare: reservari possunt peculiari operæ. Nos hæc vice ut præsuppositum assumimus, unicam tantum in homine dari animam, quæ tria sortita est nomina ob diversas tres facultates. Si ergo una eademq; in homine est anima, certè rationalis non potest infici à sensitivâ tanquam à distincta.

§. 25. Tertiò: Posito, etiam duas esse, nego à sensitivâ posse propagari peccatum in rationalem per eandem rationem quæ nego posse à corpore transire peccatum in animam. Respice §. II

§. 26. Quarto: Posito deniq; transire posse peccatum ab anima sensitivâ in rationalem, nego, sic ademptum esse scrupulum de crudelitate DEI sanctam animam copulantis cum animâ pollutâ, quam unionem præscit indubitato subsecuturam esse ipsam animæ foederationem. Legatur disp. cit. Sect. III. §. 87.

§. 27. Huic exceptioni postremæ jam satisfacere vult Amandus hæc verbis p. 156. 157. *Et licet deinde Anima rationalis in cujusvis humani individui generatione extrinsecus per divinam virtutem accedat, & anima sensitiva in corpore humano sese uniat, ex qua unione & sensitivo consortio labem contrahit, collatq; innocentie gratiam deperdit, id non DEI creantis, sed hominis primi olim actualiter peccantis est vitium, qui in donato create innocentie statu anime rationalis anime sensitivæ conjunctæ usum adhibuit in DEI offensionem & divini præcepti contemptum. Unde quia anima rationalis sui juris plena imperio male usa est, sensibusq; parere delegit, non immerito DEI justitia justissime permittit, animam rationalem licet à se innocentie dono insignitam, postquam anima sensitivæ pollutæ sese conjungit, ex consortio materialis anime, vitiorum naturalium novos sortiri, & ejusdem immunditie contaminari ad prima create virtutis defectum, ut divina justitia (executio æquissime administratur, haud administranda, si anima rationalis, quæ in Protoplasto actualiter consensa est (consensit, scribendum fuerat) voluntati offendendi divinam legem à consortio anime sensitivæ præter contagionem libera foret, cum ut delictum, si pœna suos autores teneat oportet.*

§. 28. Quæ differit Amandus, partim obscura sunt, ut nescias, an ad

an ad argumentum bonâ fide respondeat, aut si respondet, quâ parte illud invadat: partim ita confusa & involuta, ut dubites unica illa sit responsio, an multiplex.

§. 29. Ut omnia sint planiora, novo Syllogismo, sed qui omninò lateat in illo superiore nostro, libet experiri contra creationem h. m.

Quicumq; animam rationalem à se creat. am puram conjungit cum anima sensitiva impura, à qua conjunctione sequitur necessario contagio peccati: ille injustus & crudelis est.

DEus (ex mente Autoris) hoc facit. E.

§. 30. Hanc esse vim in illo contra creationem argumento facilè quis ipsius Amandi verbis persvaserit, si quis tantum illa, quæ de corpore p. 146. 147. ipse ex mente suorum adversariorum dixerat, mutatis mutandis trahat ad animam sensitivam.

§. 31. Ubi verò hoc est observandum: distingvendas esse actiones DEi, quarum una est creatio animæ puræ, altera conjunctio ejusdem cum anima sensitiva impura. Crudelitas illa & injustitia elicitur hinc à DEo non ut create, sed ut uniente.

§. 32. Quid ad hæc Amandus? Negare videtur ipse velle, quicumq; animam puram unit impuræ, illico crudelem esse: ait enim, *culpam non esse DEi creatis (conjungentis dicere oportuerat, si vim nostri argumenti tangere voluisset) sed hominis primi olim actualiter peccantis: Imò non immeritò DEi justitiam justissime permittere, animam rationalem ex consortio animæ sensitivæ vitiorum naturalium novos sortiri, sic justitiae executionem æquissime administrari.*

§. 33. Verba quidem percipio, nervum responsionis non intelligo. Vim nostri argumenti non tangit: nam si maximè accommodes ad majorem propositionem, non tam videtur responsio esse, quàm probatio propositionis oppositæ in hunc modum.

Quicumq; permittit animam rationalem puram sortiri novos peccati ab anima sensitiva, ille non injustus est, sed justitiam administrat:

DEus hoc facit: E.

§. 34. Sic ille suam stabilit thesin, nostram relinqvens intactam. Interim dispiciamus, quomodo Amandus majorem sui argumenti probet. Quantum quidem ex toto ejus confuso di-

fcurfu colligere potui, hæc ejus mens est: quia prima anima Adami sui juris plena imperio male usa est, & sensibus parere delegit, hinc merito DEum permittere voluisse, ut omnis deinceps anima, à se licet creata & corpori infusa, inquinetur. Vult ergò Adamiticæ animæ peccatum actuale primum (ad id tendunt etiam illa verba: *anima rationalis in Protoplasto actualiter consensit*) esse causam meritoriam, propter quam DEus justè permittat talem coinquinationem omnis animæ. Cum, addit, ut delictum sic pœna suos auctores teneat, oportet.

§. 35. Et ad id citat L. Sancimus C. de pœnis: Integram ascribam: Sancimus, ibi esse pœnam, ubi & noxia est. Propinquos, notos, familiares procul à calumniâ submovemus, quos reos sceleris societas non facit. Nec enim adfinitas vel amicitia nefarium crimen admittunt. Peccata igitur suos teneant auctores: nec ulterius progrediatur metus, quam reperitur delictum. Hoc singulis quibusq; Judicibus intimetur.

§. 36. Num verò hoc sit justitiam administrare, judicent omnes Jurisperiti? nec lex allegata quicquam facit pro illo: argumentor potius ex ea contra illum hunc in modum:

Quæcumq; anima neq; ipsa peccavit ad similitudinem Adamiticæ, neq; sceleris Adamitici rea est, illa injustè à DEo punitur ad similitudinem pœnæ Adamiticæ animæ inflictæ.

Sed O. anima à DEo per Amandum creata neq; ipsa ad similitudinem Adamiticæ peccavit, neq; sceleris Adamitici rea est: E.

§. 37. Poterit quis ex mente Amandî regerere arguendo falsitatis primum minoris membrum: utiq; omnem animam, peccare ad similitudinem animæ Adamiticæ: sicuti enim anima Adami peccavit parendo sensibus, sic omnem animam peccare conjungendo se animæ sensitivæ pollutæ, eiq; parendo. Passim hæc leguntur in verbis citatis §. 27.

§. 38. Ne mireris, nos Amando tribuere §. 34. quod statuerit hodiernas animas contaminari justè ob actuale peccatum Adami: mox §. 37. ob proprium delictum. Ita enim confusus est Amandus, ut nescias, quæ tandem ejus mens sit. Certè quod illud §. 37. citatum statuerit, probant luculentissimè ultima ejus verba: *cum ut delictum, sic pœna suos Auctores teneat oportet: quæ alias minimè quadrarent.*

§. 39.

ANIMAE RATIONALIS.

13

§. 39. Sed ad hanc ultimam exceptionem repono: *Primo:* merum hoc esse commentum *Amandi*, imò planè novam opinionem, quam copiosius, utpote inauditam, proferre & exponere debuisset.

§. 40. *Secundo:* *Amandum* sibi ipsi contradicere: mox enim DEO hanc conjunctionem tribuit. p. 51. inquit: *Divina immediata virtute per infinitam DEI secunditatem anima rationalis creata corpori humano infunditur* (certè non à seipsa, E. ab alio, qui nullus alius, quam DEUS) iterum p. 155. *DEUS producit animas racionales, quibus corpora humana in utero materno efformata informat.* Si E. Deus unit, utiq; anima seipsam non unit.

§. 41. Posito E. hoc, quomodo liberabit DEUM ab hoc crimine, quod sit injustus, qui punit animam, permittendo, ut ab anima sensitiva polluatur, ob delictum, cuius ipse quidem autor est. Cum enim ex mente *Amandi* DEUS conjungat animam rationalem animæ sensitivæ, quam conjunctionem ipse præscit sequi necessario ut anima rationalis pareat sensibus, quis non dicet, Deum esse causam moralem hujus peccati.

§. 42. Rem declaro per exemplum. Qui applicat ignem ligno, quam applicationem semper & necessario subsequitur combustio, quam & ipse applicans sequi præscit, hunc Philosophi vocant causam moralem combustionis. Sic per *Amandum* DEUS se habet in respectu ad delictum animæ rationalis.

§. 43. *Tertio:* Posito, animam seipsam unire, & parendo sensibus peccare, sequeretur inde hoc absurdum, peccatum actuale esse prius originali, effectum causâ, fluvium fonte.

§. 44. *Deniq;* quæro quomodo fiat, quod anima talis semper & necessario pareat sensibus, cur non potius resistat, cum sit illis potentior, & validior, utpote *domo innocentia insignita à DEO*, quod ipse fatetur *Amandus* p. 153.

§. 45. Responsionis loco suggeret Autor nobis verba p. 147. quibus in ead. ferè materia utitur: *Comperitur animam corpori cedere, & pronam corporis studia sectari.* In quo quidem *Amandum* petitionem principii committere, facile quis deprehendet.

Monstrat argumenta pro Traduce ab Amando non esse resoluta.

§. 1.

De argumento primo satis, quod in sectione prima absolvere volui, cum suppeditet argumentum contra creationem: Nunc ad alterum, quod directè facit pro Traduce.

§. 2. Quod quidem Amando p. 160. 161. ita concipere ex mente adversariorum suorum libuit:

Principium physicum est, quod verum: simile simile generare.

At si verum: simile simile generare, anime rationales ex se invicem se propagant.

E. juxta principium physicum anime rationales se ex se invicem propagant.

Et nisi propagarent, hominum deterior conditio, quam brutorum esset, quæ sui simile producant: dicendum ideo est alteram partem materialem, quæ est corpus ex semine, alteram spiritualem, nempe animam ex anima produci, sicut per generationem ex toto homine propagetur totus, quia in illa sententia divina beneficio divinum quid læset, quod in coitu excitatur, ac accenditur: quemadmodum in silice later ignis, qui ferri attritu ex percussione elicitur. Ut E. corpus à corpore, sic anima propagatur ab anima, tanquam lumen à lumine accensum.

§. 3. Hæc Amandus nobis pro uno venditat argumento, cum reverà sint tria: unum quidem pro traduce simpliciter: alterum pro traduce contra creationem: tertium pro educatione potius, quam pro traduce. Ordine intueamur singula.

§. 4. Primum pro traduce est illud, quod depromit è canone: simile generat simile. Videat autem Amandus, quis nostratum hac formâ utatur, imoq; tali Syllogismo rem absolvat. Nos, ut res planior sit, tribus Syllogismis, quorum alter alterius conclusionem assumat, rem expediemus.

§. 5. Primus: O. corpus virum generat sibi simile per generationem Univocam.

Homo est corpus virum:

E. Homo

ANIMAE RATIONALIS.

E. Homo generat sibi simile per generationem univocam.

Secundus: E. homo ex se toto generat totum.

Tertius: E. homo generat corpus ex suo corpore, & animam ex sua anima.

§. 6. Secundum pro traduce contra creationem:

Si homo corpus tantum generat è suo corpore, non verò animam ex sua anima, sed ea creatur à DEO ignobilior est generatio hominis (sic malo loqui, quàm cum Amando: deterior hominis conditio: quæ nimis generalia sunt, & non satis accuratè in rem præsentem proponuntur) quàm bruti:

Consequens est absurdum, E. & antecedens.

Connexum probatur: quia si generatio hominis ex unâ tantum parte esset univoca, bruti verò ex utraq.

§. 7. Tertium argumentum latet in illa similitudine de ferro ac filice. Videtur autem aptior esse ad probandam animæ educationem, quàm traducem. Traduci verò aptior est illa similitudo de duabus facibus tertiam accendentibus, quàm allegatam legas disp. cit. Sect. IV. §. 37.

§. 8. Sic autem proderit illud informari:

Sicut se habet ferrum & filix ad generationem ignis, ita semen utriusq. parentis ad generationem animæ humanæ.

Sed ferrum & filix ita se habent ad generationem ignis, ut ex utriusq. potentia educatur ignis naturaliter absq. creatione ex nihilo.

E. Semen utriusq. parentis ita se habet ad generationem animæ humanæ, ut ex utriusq. potentia educatur anima rationalis absq. creatione ex nihilo.

Hoc, quatenus usurpatur ad probandam educationem, non facimus nostrum, qui traducem potius defendimus, malumusque animam comparare cum igne ex duobus ignibus accenso, quàm ex attritione filicis & ferri proficiente.

§. 9. Nunc videamus, quid singulis argumentis reponat Amandus: Ad primum pro traduce ita inquit p. 162. Miror autores, qui ubiq. lyncei omnia circum se vident, se non videntes, & principio physico pro probandâ opinione utuntur, cum & illi ipsi anima rationalis substans

substantiam esse spiritualem, & immaterialem confessi fuerint, ut in praedicto argumento patet: immaterialis vero substantia immaterialem ortum habeat necessum est. Illud igitur principium in materialibus generationibus verum est, à quibus insimul anima rationalis.

§. 10. Responsio hæc Amandi maximè nititur illis verbis, ubi dictum erat ab illo ex mente adversariorum: principium hoc: omne simile generat simile: esse physicum. Ex hoc igitur elicit ille, malè principium physicum accommodari ad rem hyperphysicam, qualis anima rationalis. Jam cum ne nos quidem negemus illud nostrum: omne corpus vivum generat sibi simile per generationem Univocam: esse canonem physicum, & tamen in tertio Syllogismo deducamus hoc ad ipsius animæ rationalis ortum, videndum, quid auctori reponi debeat, quasi μεταβασιν εἰς ἄλλο γένος expropranti nobis.

§. 11. Nego ergo μεταβασιν. Non enim anima rationalis ita est ens hyperphysicum, ut nullo modo ad physicam doctrinam pertineat. Distinguo animam consideratam in statu separato, sic est totum aliquod πνευματικόν & ὑπερφυσικόν: & consideratam in statu conjunctionis cum corpore, & tunc est pars formalis corporis physici, adeoque considerationis physice, & ad quam possint & debeant servata proportione debita canones physici accommodari, ut factum à nobis.

§. 12. Ad secundum pro traduce argumentum illa pertinent Amandi, quæ statim p. 162. sequuntur. Unde ejus prerogativa, & major præ ceteris entibus naturalibus excellentia suspici debet, cum illa agnoscat DEUM; nec hinc ejus imperfectio argui potest, quæ est summa perfectio, & divinitatis quædam participatio.

§. 13. In his Amandus vult invertere argumentum nostrum, & ut nos è creatione concludebamus ignobilitatem generationis humanæ, sic ille contra ex eadem concludere nititur nobilitatem.

§. 14. Cogamus autem ejus discursum in formulam argumenti, h. m. Hoc enim vult nisi fallor.

Quicquid immediate creatur à DEO, illud nobilius est, quam quod producitur à DEO mediante creaturâ.

Anima hominis immediate creatur à DEO: E.

§. 15.

§. 15. Hic *primū* noto, confundi ab *Amando* nobilitatem animæ cum nobilitate productionis animæ. De hac, non de illâ loquebatur argumentum nostrum. At verba *Amandi* aperte sonant de nobilitate animæ ipsius.

§. 16. *Deinde* concedo animam nostram excellere animabus brutorum, ast perperam id concluditur argumento *Amandi*. Nego enim majorem, & do instantiam de materia prima.

§. 17. *Tertiò*, Posito, creationem facere ad nobilitatem productionis, neq; hoc est ad rem: non enim loquitur argumentum de productione animæ, sed hominis, cujus generatio esset ignobilior brutorum, si anima crearetur. Respice §. 6.

§. 18. Quod *deniq;* est apud *Amandum*, illam perfectionem animæ, quam ipse arcessit ex creatione ex nihilo, esse *divinitatis quendam participationem*, forsan ipse non capit. Non n. sequitur, anima creata est ex nihilo, E. divinitatem participat: sic n. & materia prima esset divinitatis particeps. Participatio illa divinitatis, sive ut clarius loquar, imago divina, quæ locum habet in anima, consistit in spiritualitate & immortalitate: nec illa tollitur, licet non creetur, ut anima *Adami*, sed traducatur ex anima tali, quod legas disp. cit. Sect. IV. §. 33, 34. Ex forma enim pendet illa imago, non ex modo producendi.

§. 19. Ad tertium argumentum spectant illa verba *Amandi* p. 163. *Non, ut Auctores illi nugantur, latens illa potentia, quæ in coitu excitetur, & facula instar accensa propaget totum hominem. Nugantur hi, & rerum ordinem invertunt ac confundunt, temerè cœlestia terrestribus, divina humanis, summa infimis commiscentes.*

§. 20. Nescio, an *Amandus* bonâ fide perseveret in illâ similitudine de ferro & silice: nulla enim nec ferri nec silicis fit, mentio, ignis tantum sive faculæ accensæ: quod quadrabit etiam ad alteram illam similitudinem de face è duabus accensa. Sed quia hoc pacto responsio hæc illud ipsum quoque feriet argumentum, quod nobis præ altero placebat, omninò reponendum est aliquid.

§. 21. Certè refellit illud meris convitiis, nullis rationibus. Si quid tamen rationis subest, respondere vult ad majorem, negando licere duci argumentum ab his terrestribus ad cœlestia,

C

§. 22.

§. 22. Concedo, si proferatur tanquam argumentum à pari, nego, si tanquam à simili, sicuti nos proferimus: sapissimè enim cœlestia optimè illustrantur argumentis rerum magis sub sensus cadentium.

SECTIO III.

Confirmat præsentiam animæ in semine, & Amandi vindicat objectiones.

§. 1.

FACIT ad stabiliendam traducem præsentia animæ in semine: monstrat enim vehiculum, quo mediante anima propagetur in sobolem. lege disp. cit. Sect. IV. §. 15. 18. 44.

§. 2. Contra hæc multa differit *Amandus* p. 206. 207. seqq. quæ licet eò sint directa, partim ut stabiliant, animam infundi corpori demum organizato; partim ut destruant infusionem animæ in primo vel proximo conceptionis puncto: cum tamen per hæc omnia simul jugulum petatur nostræ opinioni de præsentia animæ in semine, operæ pretium duxi, ut & illa discuterem.

§. 3. Primum verò nostram thesîm fulciam validius, habet enim, quod excipit *Amandus*.

§. 4. Prænotamus distinctionem seminis. Semen duplicem habet considerationem, vel quatenus adhuc est in testibus: de eo nobis non est res; vel quatenus ab utroq; parente in actu congressionis est exclusum & debito modo mixtum, ut sit materia constituens prolem. Et de hoc valet thesîs.

§. 5. Illud semen iterum potest considerari dupliciter, vel quatenus ex illo homo non generatur, quod sapissimè fit: vel quatenus ex illo homo generatur. In priori non est anima, quia non est aptè dispositum ad generationem hominis, propterea nec capax vehiculum animæ. Et dicerem eò in casu, ubi ex mixto semine non generatur homo, DEum ex justa causa vim multiplicandi parentum animabus retrahere, ut animam numero tertiam non possint producere.

§. 6. Cognoscitur autem præsentia animæ in semine ex ejus operatione. Ab illo enim temporis puncto, quo facta est conceptio,

ptio,

ptio, *ubi* incipit augeri, formari, quæ actiones procedunt ab animâ: ubi ergo anima operatur, ibi actu dari est necesse. Legantur verba Sperlingii dissert. de traduce p. 18. 19.

§. 7. Nostrum argumentum erit tale:

Ubiq; anima operatur, ibi actu est:

In semine anima operatur,

E. In semine actu est anima.

§. 8. Reponit Amandus p. 207. *munus hoc ab anima rationali præstari nequit, cum sit spiritualis & immaterialis, eoq; nomine materiales & corporeas actiones peragere inepta.* Quod Amando ambabus largior: anima quatenus est rationalis non sic operatur: at verò exinde concludere, animam rationalem non adesse, procederet æqvè, ac si dicerem sensitivam non adesse, quod tamen nec ipse inficiatur, imò illi potius organizationem tribuit. In quo non satis sibi congruentia dixisse *Verum* deprehendo, cum id conveniat animæ non quatenus est sensitiva, sed vegetativa.

§. 9. Breviter: opinio *Amandi* falso nititur fundamento, rationalem & sensitivam, quæ simul includat vegetativam, esse duas realiter distinctas animas, cum tantum sit una numero. Sicuti ergo non sequitur, vegetativa operatur, ergo sensitiva non adest, cum ex ipsius mente sensitiva sit numero eadem cum vegetativa: Sic neq; sequitur: vegetativa operatur: E. rationalis non adest, cum ex rei veritate & rationalis & sensitiva & vegetativa sit una eademq; anima.

§. 10. *Amandus* minorem nostri argumenti, ejusq; probationem infestavit. Porro & ipsam conclusionem aggreditur. *Ex illa opinione, inquit, multa inconvenientia sequi deprehendo p. 207.*

§. 11. Duo enumerat. Primum hisce proponit verbis p. 207. *Experientia multa habetur, per omne illud à conceptione tempus plures abortus edi, qui si anima rationali informati sint, cum sit immortalis, illi secundum Christianæ Ecclesiæ doctrinã in universali totius mundana universitatis dissolutione resurgent: aut verò resurgent instructi in corporibus, quibus præditi fuere abortus & mortis tempore; aut integris & perfectè organis; si istis, adversatur textui sacro, qui testatur, hominum singulos sua corpora resumpturos, quod habetur apud Jobum c. 19. Quod si a. induti corporibus*

mutilus, & imperfectis resurgant, quibus defuncti sunt: magna sanè & horrenda eorum futura deformitas, ut sine ulla membrorum Symmetria & organica dispositione rudes & informes sortiuntur vitam aeternam, sive beatam, sive miseram. Non admodum bonum se in his ultimis præbet Theologum; nec Scriptura, nec Theologi sic loqui consueverunt, ut damnationem aeternam appellaret vitam, cum potius sit mors continua & perpetua.

§. 12. Totus hic discursus, ut nervum tangamus, potest includi huic dilemmati: Si anima inest semini, illa, quando procurantur abortus, aut peribit, quod ejus immortalitati adversatur, aut superstes manebit, quod vero similis. Si superstes manet, resurget cum corpore aut inorganizato, qualem deformitatem, non capiet gloriosa vita; aut perfectè organizato, quod verò contrariatur scripturae, asserenti, singulos sua propria corpora resumpturos. Hac ergò consequentia, cum sint falsa, antecedens quoque, falsum esse necesse erit.

§. 13. Ex hoc dilemmate unicam hanc assumo propositionem: nempe animas recipi à DEO, ut corporibus in resurrectione plenius & perfectius elaboratis iterum conjungat.

§. 14. Nec est, quod veretur Amandus, non omnes sic sua propria resumpturos esse corpora. Errat dum identitatem numericam corporis quærit non in identitate substantiæ, sed accidentium: varietas enim quantitatis & qualitatis non facit diversitatem corporis.

§. 15. Alterum inconueniens majoris esse momenti fateor. Proponit illud p. 211. 212. 213. Præterea, inquit, experientiâ discimus fœtus post conceptionem vi plantæ a matris exuta humana specie formas animantium induere. Quorum monstrorum partuum aliquot enarrat exempla. Concludit: Ecquid in eam temeritatem prolaberetur, ut asserere attentet, ejusmodi prognata animantia anima rationali informari informanda tamè, si fœtus in conceptione aut non longè post anima rationali donari dicatur.

§. 16. Vult argumentari Amandus in hunc modum:

Si anima rationalis inest semini, inerit etiam monstris:

Consequens est absurdum: E. & antecedens.

§. 17. Totam rem unicâ distinctione me tollere posse confido. Distingvo monstra: alia sunt humana, alia bruta: Fundamentum hujus distinctionis lege ap. Broch. Syst. Theol. Tom. III, Art. de Bapt.

Bapt. c. VII. cap. consc. IV. Humana sunt, quorum inostrositas ex ignobiliore corporis parte apparet, adeo ut forma & figura hominis per illam non tollatur.

§. 18. Si de his valet argumentum, nego absurditatem consequentis. Illis enim maxime inest anima rationalis, quæ & à Theologis digna habentur lavacro regenerationis.

§. 19. Bruta sunt, quæ exuta omni humanâ specie formas animantium induerunt. De his sine dubio intelligendum est argumentum. Sic enim ipse loquitur Amandus p. 211. stante hoc nego consequentiam majoris.

§. 20. Quod, ut intelligas, repete distinctionem feminis, quam dedimus §. 5. illamq; applica majori. Si anima inest femini, ex quo generatur homo, inest etiam monstris: falsa est consequentia: quia monstra generantur ex tali semine, quod ineptum est ad generationem hominis. Ineptum autem redditur tali in casu non solum sapissime vi phantasiae matris, sed & permittente DEO, ex malitia Diaboli, quod non male judicant Theologi.

§. 21. Vel ultimo. Connexum iterum negari posse puto ex eo, quod non valeat argumentatio à generatione ordinaria & naturali ad extraordinariam & præternaturalem.

SECTIO IV.

Refutat argumenta Amandi pro creatione.

§. I.

Quantum quidem perlustrare potui opusculum *Amandi*, certè nullum inveni pro creatione animæ rationalis argumentum præter hoc, quod satis verbosè proponit p. 199. 200. 201. brevitatis v. studio sic contraho.

Anima rationalis aut creata est ante corpus, aut oritur ex semine materiali per educationem, aut ex anima per traductionem, aut ex nihilo per creationem.

Sed neq; primum est verum, neq; secundum neq; tertium, E. quartum.

§. 2. Quod argumentum nullo negotio exploditur negando tertium minoris membrum, cujus contradictorium hætenus

C 3

proba-

22 SECT. IV. DE ORIGINE AN. RATIONALIS.
probavimus, disp. cit. passim, inprimis Sect. IV. & *Amandi* objectiones contra vindicavimus in Sect. præcedentibus.

§. 3. Possset autem quis ex *Amandi* verbis p. 162. *immaterialis substantia immaterialem ortum habeat necessum est*, struere tale argumentum pro creatione.

Quicquid oritur per ortum immaterialem, illud oritur per creationem.

Anima rationalis oritur per immaterialem ortum. E.

Minorem probaret, quia anima rationalis est substantia immaterialis, cui debetur ortus immaterialis.

Majorem ex mente *Amandi*, cui sola creatio est ortus immaterialis.

§. 4. Sed errat *Verus*, dum putat ortum immaterialem esse solum, dum aliquid creatur ex nihilo, datur enim adhuc alia species ortus immaterialis, quam vocamus translationem, ubi anima oritur ex anima, spiritualis substantia ex spirituali, immaterialis ex immateriali. Sciat *Amandus*, si amans sit veritatis, ortum immaterialem esse omnem, qui non habet pro termino ex quo materiam. Cum ergo nos propugnemus traducem, quã animam ex anima oriri statuimus, videre facile est, nos minime denegare animæ rationali ortum immaterialem.

COROLLARIUM.

Ex resurrectione mortuorum in hanc vitam à Christo & Apostolis facta non potest probari, peccatum posse transire à corpore in animam.

Cum residuæ pagellæ essent explendæ, quartam quoque addere Sectionem sum coactus. Benevolus ergo Lector corrigat paginam 4. ut loco trium legat quatuor.

Qvon-

Quondam primus erat Tuo Patronus
Patri SCHVARTIUS, est Tibi, THOMASI,
Nunc primus quoque VAKIUS Patronus.
Hamburgum tulit hos utrosq; clarum.
Sic placere probas THOMASII, quos
Urbs Hammonia Lipsidos frequenter
In sedes solet ablegare doctas.

*Honori CL. Dn. M. Praefidi gratulab.
adpos.*

D. Joh. Ad. Scherzer / SS. Th.
Prof. Publ. Fac. suæ Sub-Senior,
Canonicus Misnensis.

Quæ sit origo animæ tradebas, Optime, nuper:
Nunc iterum tradis quæ sit origo animæ.
Nempe satis dici res hæc nequit ardua: nec Tu
Dici ob rem satis hanc carmine, docte, potes.

*Ita Clarissimo Domino M. Vakio, Commensali suo
suavissimo gratulabatur*

D. Gottfried Welsch /
Facultat. Med Decanus, Prof. Publ.
Maj. Ppum Colleg. Collegiatus, Acad.
Decem Vir, & Reipubl. Patr. Physicus
Ordinar.

Erat

ERat THOMASIVS Tibi Patronus
Lux Coeli Sophici perenni-clara
Secretis Animarum in eruendis.

Nunc es THOMASIO Patronus ipse,
Stella axis Sophici minus minuta,
Secretis Animarum in eruendis;

Quippe THOMASIVM exhibes Parentem,
Ipsi THOMASIO Patrem exhibenti.

Euge THOMASIVM refer Parentem,
Tuque, Nate VIRO, refer Parentem,
Sic Trinum dabitur THOMASIVM.

De utroque Dn. Disputantium
sic bene-ominabatur

Philippus Boone Hamb.

Errata.

pag. 5. S. 5. pro confecta, lege, consueta. pag. 8. S. 15. pro clama-
vit, clamitat. pag. 9. S. 21. pro propagavit, propagavit. p. 11. S. 29.
pro impura, impura. pag. 14. S. 4. pro imoque, unoque. pag. 16. S. 10.
pro expropranti, exprobranti.

* * *

DD A 6358

ULB Halle 3
002 920 387




Sb.

Reho ✓

1077

512







DE ORIGINÆ ANIMÆ
HUMANÆ

DISPUTATIO

AMANDI VERI

Quibusdam de hoc Argumento
motis difficultatibus opposita,

Quam

Indultu Inclytæ Fac. Philosoph.

instituit

M. JOHANNES VAKE,

Hamburgensis,

Respondente

CHRISTIANO THOMASIO, Lipf.

Philof. Baccalaureo,

d. 18. Decembr.

ANNO M DC LXIX.

LISPSIÆ

Typis JOHANNIS GEORGI,